

(56. Confessario Monialis infirmæ confessionem audiente, Cellæ janua aperta remaneat, et ambæ comitatrices ad ejusdem Cellæ januam morentur, ita ut Confessarius, et infirma ab eis commode cerni possint. Eadem Sacra Congregat. Episcop. die 13 Septembr. 1583, et novissime Innocentius XI. per Epistolam Encyclicam ejusdem Sacræ Congregat. Episcop. sub datum Romæ 21 Martii 1682. (57. Confessarii quovis tempore de nocte in casu necessitatis possunt clausuram ingredi. Eadem Sacra Congreg. 13. Septembris 1583. (58. Confessarius non potest ingredi clausuram ad audiendam Confessionem illius infirmæ, quæ potest accedere ad Sedem Confessionalem. Eadem Sacra Congreg. 13. Septembris 1583. (59. Confessarii nullatenus ingredi possunt clausuram prætextu comitandi operarios, Medicos, Chirurgos, vel alios. Eadem Sacra Congregat. Episcop. 13 Septembr. 1583. (60. Confessarii non possunt ingredi clausuram ad conspergendum Cellas Monialium, aut alia loca aqua benedicta in die Sabbati Sancti, aut quolibet alio tempore. Sacra Congregatio Episcop. 4 Septembr. 1596. (61. Confessarii nequeunt ingredi clausuram ad exorcizandam Monialem energumenam. Sac. Cong. Episcoporum. et Reg. 1 Julii 1606. (62. Confessarius non potest ingredi clausuram Monialium ad inibi Missam celebrandam, ut pluries declaravit Sacra Congreg. Episcoporum. et signanter in Lancianensi et in Pistoriensi 16 Julii 1685. in Mantuana, 13 Junii 1591. in Bononien., 2 Januar. 1601. (63. An autem Confessarius ingredi possit clausuram ad sumendam particulam consecratam ipsi in actu communicandi Moniales in Ecclesiam interiorem elapsam? variant Doctores; negativam sententiam tenent Bissus in Hierurg. Sacr. tom. 2, verb. *Particulæ* num. 45, § 12. Castaldus, cui adhæret Quartus in rubric. Missal. part. 2, tit. 10, sect. 3, difficult. 4. et alii volentes, Particulam in tali casu esse colligendam a Monialibus vel Abbatissa, et Confessario seu Sacerdoti porrigendam; quia, dicunt ipsi, ingressus in Monasterium strictius prohibetur, quam tactus Hostiæ consecratæ in casu necessitatis. At hoc solum admitti posset, si unica Particula caderet intra clausuram, et ibi adesset Monialis communicanda, quæ in tali casu genuflexa posset eam reverenter sumere, et sic communicare, ut tradit ipsemet Quartus loc. cit. et Clericus de Eucharistiæ Sacramento decis. 44. et alii. In casu autem, quo nulla adesset Monialis communicanda, varii Doctores, inter quos Clericus I. c. D. Cajetanus de Alexandris in Confessario Monialium, cap. 7, § 6, quæst. 7, recte dicunt, posse Confessarium ingredi ad sumendam talem Particulam, quia strictius obligat reverentia erga Sanctissimum hoc Sacramentum, quam Clausura; quia hæc habetur ex præcepto Ecclesiastico, illa vero ex præcepto Divino, ut ex D. Thoma 3 part. qu. 83, art. 3.

(64. Confessarius Monialium etiam Regularis non indiget speciali licentia ad ingre-

diendum pro necessitatibus sui Officii, modo per Monasterium non vagetur, sed expleto ministerio, statim exeat. Sacr. Congreg. Episcop. et Regular. in Comen. 9 Mart. 1609. Confessarius debet ingredi clausuram cum cotta, et stola, et non aliter. Sacr. Congreg. Episcop. in Lucen. 29 Martii 1589, et 22 Decembris 1602. Et hoc per quæcumque necessariam causam ingrediatur. Eadem Sacr. Congr. Episcop. in Cajetana 29 Januarii 1627. apud Nicol. in Flosculis verb. *Clausura*, n. 34.

(65. Confessarii Monialium, quamvis generaliter deberent ingredi absque socio pro ministrandis Sacramentis Pœnitentiæ, Eucharistiæ, et Extremæ Unctionis Monialibus infirmis, ex decreto Sacræ Congregat. Episcop. 13 Septembr. 1583. relato a Pignatelli. tom. 6, consult. 83, num. 231: tamen hodie Confessarius Regularis, non obstante antiqua consuetudine, absque socio ingredi non potest, sed debet ei assignari socius, qui ipsi assistat; et sit ætatis ultra 50 annos, vitæque exemplaris; Sacr. Congr. Episcop. et Regular. in Nolana 21 Februar. 1617. apud Lezanam, tom. 3, verb. *Clausura* num. 27. Monacell. part. 1, tit. 9, formul. 5, num. 2. Barbosa in Summa Apostolic. decis. verb. *Confessarius monialium* num. 14. et expresse Alexander VII. in citat. Constitut. incip. *Felici* § 9. ibi: «Nec unquam ingrediatur, nisi cum Socio, qui sit probatæ vitæ, semperque maneat in ea parte Monasterii, qua Confessorem videre, et ab ipso videri semper possit.»

(66. Confessarius Regularis Monialium, ejusque socius (Confessionis, ac Sacramentorum administrationis casibus exceptis) easdem Moniales absque Sacræ Congregationis licentia alloqui non possunt. Ead. Sacr. Congr. Episcop. et Regular. in d. Nolana 21 Februarii 1616. apud eosdem loc. cit. Vide Verb. *Moniales*, art. 4.

(67. Confessarii Extraordinarii Monialium a Monasteriorum, in quibus degunt, aut Religionis oneribus pro eo tempore dumtaxat, quo in Confessionibus audiendis occupantur, excusantur. Eadem Sacra Congr. Episcop. et Regular. 10 Mart. 1593. apud Barbosam loc. cit. num. 7.

(68. Habitatio Confessarii, licet debeat esse vicina, non tamen sit conjuncta, seu contigua Monasterio, sed ab eo disjuncta, non solum per parietes, sed etiam per tecta; Sacr. Congr. Episcop. in Ariminen. 22 Januarii 1576. 19 Augusti 1578. 2 Januarii 1579. et 22 Januarii 1593. In Bononien. 3 Maii 1593. in Januen. 14 Novembr. 1603. in Mantuana 22 Novembr. 1604. et sæpe alibi; et expresse statuit Alexander VII. in d. Constitut. incip. *Felici* § 10 et 11. sub gravissimis pœnis contra Superiores, et Confessores Regulares transgressores: et novissime Sac. Congr. Conc. in Ulixbonen. occidentalis 10 Septemb. 1722. ubi decrevit, quod Confessarii Monialium non possint habitare in atriis Monasteriorum muro circumvallatis contiguis Monasteriis, et habentibus portam, quæ clauditur, apud Ursayam in Mi-

scellaneo primo Sacro, et profano lit. C. n. 238.

(69. Confessarii Monialium debent audire Confessiones ex Sede Confessionali collocata, non quidem in Sacristia, aut alio occulto loco, sed in ipsa Ecclesia exteriori, ut habetur ex declaratione Sacr. Congreg. Concil. in Camerin. 29 Novemb. 1605, his verbis: «Confessionalia ex Sacristiis, et aliis locis occultis removeri debent, et collocari in Ecclesiis exterioribus Monialium;» et in Faventina 7 Martii 1617, his verbis: «Confessionalia Monialium in exterioribus Ecclesiis omnino collocentur, et si illæ in hoc renitentes fuerint, interdici debent.» Sic apud Barbosam in Summa Apostolic. decis. verb. Confessionalia n. 1 et 2. et idem statuit Ead. Sacr. Congr. Conc. in una Salutiarum in respon. ad 4. die 20 Sept. 1642.

(70. Confessarii Monialium certa annua merces constitui debet, quæ juxta morem, et qualitatem regionis victui illius sufficiat, eademque merces Monasterio, in quo degit idem Confessarius, si Regularis sit, persolvatur. Cæterum Ordinarii locorum prohibeant Monialibus sub aliquibus pœnis, non tamen censurarum, ne ultra mercedem illam aliquid communitur, vel privatim eidem Confessori, vel aliis quibuscumque Fratribus tribuant, eisdemque Fratribus, ne a Monialibus etiam sponte oblatum, aut donatum recipiant, sub iisdem pœnis inhibeat. Sic Sacr. Congr. Episcop. et Regul. sub die 29 Novembr. 1605. apud Barbosam loc. citat. verb. *Confessarius Monialium*, num. 10. (71. Unde Confessarius accipere non debet a Monialibus victum dietum, nec utensilia, vel lineam supellectilem, sed tantummodo annuam provisionem. Ead. Sacr. Congreg. Episcop. in Bononien. 19 Junii 1601. in Januen. 28 Januarii 1603. in Recanaten. 19 Aprilis 1624. (72. Quæ non excedat duos Julios pro quolibet die. Ead. Sacr. Congr. Episc. in Neapolitana 27 Septemb. 1652.

(73. Confessarii Monialium nullo modo possunt comedere, refici, aut cibum sumere in earum Monasteriis, seu in locis, ubi sunt erates, vel rotæ in Monasterium respondentes, vel in locis adeo vicinis, ut videri, vel audiri possint a Monialibus, neque ante portam clausuræ, ut expresse pro omnibus Regularibus statuit Sacr. Congregat. Episcop. 13 Septembris 1583. et Nomis Maii 1590, in decreto jussu Sixti V. edito, relato verb. *Moniales*, articul. 4, ubi expresse mandat, quod ibi nullo modo comedant, reficiantur, aut cibum sumant, et solum eis permittit, in ædibus vicinis refectioem diurnam sumere diebus generalium Confessionum, si eorum Conventus, in quibus degunt, nimium distent a Monasterio Monialium.

(74. Confessarii Monialium an possint eas absolvere in Foro conscientiæ a Censuris occultis et pœnis Papæ reservatis? Vide verbum *Moniales*, articulo 3.

(75. Ad absolvendam Monialem repentino accidenti correptam, et jam jam animam agentem, in defectu sui proprii Confessarii potest licite quilibet alius Confessarius, seu

simplex Sacerdos prope Monasterium existens, seu casualiter transiens, clausuram ingredi sine ulla licentia expressa, et tali moribundæ beneficii absolutiois imperiri. Si enim ex Decretis Sacræ Congregationis allatis verb. *Moniales*, articulo 3, potest quis licite sine licentia clausuram ingredi ad extinguendum incendium, vel ad succurrendum Monialibus in aliis casibus repentinæ ruinæ, multo magis poterit Confessarius, seu simplex Sacerdos sine licentia clausuram ingredi ad absolvendam Monialem in tali casu extremæ necessitatis. Quod enim non est licitum in Lege, necessitas facit licitum cap. *Quod non est* 4, de Reg. juris, et necessitas non habet legem; cap. *Sicut* 11, de consecrat. dist. 8, cap. *Omnes* 1, de Feriis, cap. *Consilium* 2, de observat. jejuniar. ca. 1. *Consulisti*, 3, de Celebrat. Missar. In qualibet enim dispositione intelligitur excepta necessitas; c. *Licet* 6, de pœnit. et remiss. Et ad hoc facit Concilium Tridentinum, sess. 14, de Sacram. Pœnit. cap. 7, ubi dat facultatem cuilibet simplici Sacerdoti, ut sine alia licentia, aut approbatione, possit absolvere Pœnitentem in articulo mortis constitutum etiam ab omnibus censuris, et casibus reservatis, addita ratione: *Ne hac ipsa occasione aliquis pereat*, quæ ratio militat in nostro casu.

(76. Confessarius sollicitans monialem est denunciandus Episcopo vel Inquisitori. Gregorius XV, Constitut. incip. *Universi*. (77. Monialis sollicitans, si nolit denunciare Confessarium sollicitantem, non potest absolvi, quia remanet semper in peccato mortali, et in Excommunicatione majori, quoties moraliter potens denunciare, id recusat, seu culpabiliter negligit. *Communis*. (78. Moniali recusanti denunciare non potest Confessarius protrahere terminum ultra tempus vi Edicti præfixum ad denunciandum, quia nullam habet Jurisdictionem super Legem Superiorum, ad quorum prudentiam spectat examinare protractionis necessitatem; Censent tamen Sayrus, Freitas, Acunha, et alii apud Dianam part. 1, tract. 4, resol. 27, posse ei concedi tempus consulendi peritiores, dummodo id præstetur absque longa temporis dilatione, et interim, data fide denunciandi, absolvi posse.

(79. Monialis recusans denunciare præ nimia verecundia alloquendi Episcopum, vel Inquisitorem, seu præ timore ne detegatur, aut alio simili respectu, potest denunciare per internuncium, seu per Confessarium, cui Episcopus, vel Inquisitor potest dare commissionem, ut recipiat in scriptis, et cum juramento denunciationem. Sic declaravit Sacra Suprema, et universalis Inquisitio jussu Urb. VIII, 27 Septemb. 1624, apud Bord. c. 24, de Sollicitatione num. 89, his verbis: «E quando il Penitente tuttavia persistesse nella medesima renitenza, N. S. si contenta, che dal Vescovo, o Inquisitore si dia autorità al Confessore di ricercare per scrittura, e con giuramento la dinunzia, per porla subito, a chi li avrà data l'autorità di pigliarla.» Instructio Confessarii pro reci-

piendis hujusmodi denunciationibus exhibetur a Pignatell. tom. 1, consult. 104.

(80. Alia ad rem, Vide verb. Confessarius quoad sollicitationem. (81. His juvat addere novissimas resolutiones Sacrae Congreg. Concilii in Coloniensi, 16 Novemb. 1720, ubi de Edicto Archiepiscopi, in quononnullis casus reservaverat, proposita fuerunt infrascripta dubia. I. An Confessarii Regulares possint Sæculares extra mortis periculum absolvere a casibus Ordinario reservatis, in casu? II. An Confessarii Monialium exemptarum, et Prælati Regularibus subjectarum possint easdem, etiam extra mortis periculum, absolvere a casibus Episcopo reservatis, in casu? III. An supposito Edicto supra recensito Confessarius Regularis extra mortis articulum, absolvere possit Sæcularem complicem criminis carnalis externi mortaliter peccaminosi secum commissi, in casu? IV. An supposito pariter eodem Edicto, Confessarius Regularis Monialium exemptarum absolvere possit Monialem complicem criminis carnalis externi mortaliter peccaminosi secum commissi, in casu? Sac. Cong. censuit: « Ad I. Negative. Ad II. Affirmative præterquam quoad casus, quos Episcopus sibi reservaverit in materia clare spectante ad Jurisdictionem delegatam. Ad III. Negative. Ad IV. Affirmative quatenus non sit violata clausura. » Verum quoad duas ultimas resolutiones hodie attendi debet novissima dispositio Bened. XIV. in sua Constitut. quæ incip. *Apostolici muneris*, quam attulimus supra verb. *Complex peccati*, num. 19. Vide ibi. Confer etiam quæ adducuntur tom. 1. verb. *Approbatio pro confessionibus*, præsertim Art. III. et verb. *Confessarius*, art. III. et verb. *Confessarius quoad sollicitationem*.

(82. Superiores Monialium tenentur bis, aut ter singulis annis exhibere Confessarios extraordinarios Monasteriis sibi subjectis; quibus tamen sic oblati non tenentur Moniales confiteri peccata sua, sed solummodo se præsentare, ut saltem accipiant ab illis monita salutaria; patet ex jam dictis et allegatis supra.

(83. Si vero aliqua Monialis graviter ægrotaet, ut sit in mortis periculo, petatque alium Sacerdotem, qui non sit Ordinarius Monasterii Confessor, huic a respectivo Superiore annuendum est. Si vero Superior Regularis illum concedere noluerit, potest id præstari ab Episcopo. Quin etiam si aliqua Monialis etiam extra prædictum casum postulet sibi per aliquod tempus alium Confessarium ab Ordinario diversum, debet illi dari a suo Superiore. Quod si Superior Regularis id renuerit, tunc potest Episcopus satisfacere ejus petitioni, etiamsi requirat alterius Ordinis Regularem, vel etiam Sacerdotem Sæcularem ex approbatis a Superiore ad confessiones Monialium. Demum suadetur Superioribus earundem Monialium, ut si aliqua ex illis petat pro majori animi sui quiete et ulteriori progressu in via Dei, ut aliquando liceat sibi confiteri Sacerdoti ad excipiendas Monialium Confessiones jam approbato, etiamsi sit alterius Ordinis Regularis, vel Sa-

cerdos Sæcularis, non sint difficiles ad præbendum assensum. Requiritur tamen semper ut Confessarius iste extraordinarius sit ex approbatis ab Ordinario ad Confessiones Monialium audiendas. Postremo si Superiores Regulares non saltem semel in anno elegerint in Confessarium extraordinarium, vel Sacerdotem Sæcularem, vel Regularem alterius Ordinis, in eo casu devolvitur hæc electio ad Episcopum. (84. Hæc oblatio Confessarii extraordinarii bis, vel ter in anno, sicut et cætera omnia, hæc omnia ex variis S. Congregationis decretis olim stabilita confirmat Pontifex in Bulla num. 56, tom. 2, incip. *Pastoralis curæ*, de qua sermo est verb. *Confessarius*, artic. 2, a n. 29, ad plures seqq.

(85. Hic locum habere potest sequens Rescriptum Sac. Cong. Episc. et Regul. ad Capitulum Cathedralis Alexandrinæ a quo instabatur pro remotione Confessorum Regularium a Monasteriis Monialium ex causis, et in casu, ut sequitur.

ALESSANDRINA

Emo, e Rmo Sig. Sig. Patr. Colmo.

Essendo alli 14 del corrente mese passato all'altra vita Monsignor Alfonso Miroglio Vescovo di questa Città, è subentrato questo nostro Capitolo nell'esercizio dell'ordinaria giurisdizione, e desiderando di riparare un disordine, a cui ostano patentemente i Decreti di cotesta Sagra Congregazione, ci troviamo in dovere, e ci diamo l'onore di rappresentare all' EE. VV. esservi in questa Città sei Monasteri, e non più, di Monache soggette alla giurisdizione dell'Ordinario, cioè cinque di rigorosa Clausura, ed uno senza tal legge, e tutti diretti da' Confessori Regolari, a favore dei quali (come da diligente ricerca fattasi ne' Registri di questa Curia Vescovile) ne appare, che siasi ottenuta la necessaria permissione delle EE. VV. ne siasi ad alcuno di essi dal Defunto Prelato spedite Patenti per tal' uffizio, affine che in occasione di contrario ricorso alle EE. VV. potessero sempre i medesimi essere scusati col titolo, o sia pretesto di Confessori provisionali, benchè uno di questi già da quattro anni successivi ritrovisi in tale esercizio del medesimo Monastero. Ed essendovi in questa Città Confessori Secolari, quali per dottrina, zelo, prudenza, e probità di costumi sono in caso di esercitare, come alcuni di essi hanno già per molti anni esercitato lodevolmente tale Uffizio, attese le angustie del tempo, che non ci permettono di dare pronte, e costanti providenze in questo affare, abbiamo concordemente determinato di ricorrere alla sovranà autorità delle EE. VV. supplicandola, come istantemente le supplichiamo, di dare al Vicario Generale Capitolare *de proximo eligendo* quelli Ordini, che stimeranno necessari, ed opportuni, non solamente per l'os-

servanza de' sovraccennati Decreti di cotesta Sacra Congregazione, ma ancora per uniformarsi alla universale lodevole consuetudine sovra questo proposito della Chiesa Metropolitana di Milano, e di tutte le altre Chiese. E baciandogli riverentemente il lembo delle Sagre Porpore con la più alta stima, e venerazione ci protestiamo.

Dell' EE. VV.

Alessandria, 16 Aprile 1755.

Umil. Devotiss. ed Oblig. Servitori, Dignità, Canonici, e Capitolo della Cattedrale.

Reverendissimo Signore.

Nell' annesso memoriale dato a nome del Capitolo di cotesta Cattedrale vedrete quanto per parte del medesimo è stato rappresentato alla Sagra Congregazione, Questi Eminentiss. miei Signori pertanto, atteso il voto dell' Eminent. Ferroni, hanno commesso alla vostra vigilanza, che dobbiate chiamare avanti di Voi tutti li Regolari Confessori delle Monache soggette alla giurisdizione Vescovile, e da ciascuno di essi vi facciate esibire il documento di sua rispettiva deputazione, e quando non costi da simile documento la legittimità della provista, non solamente vi sia lecito, ma dobbiate rimuovere i Regolari dall'impiego accennato senza veruna dilazione, ed immediatamente deputare allo stesso Uffizio altri Sacerdoti semplici Secolari di grave età, e di vita esemplare, di sperimentata prudenza, e sufficiente Dottrina, e che dagli Esaminatori Sinodali veranno formalmente esaminati, ed approvati ad udire le Confessioni delle Monache. Sarà per altro vostro debito preciso di procedere alla divisata remozione de' Confessori Regolari senza il minimo strepito, anzi usando tutta la maggior soavità, e circospezione per evitare l'ammirazione del Pubblico, ed insieme ogni confusione, e disdoro, che potrebbe tornarne ai Regolari. Così dunque eseguirete, e Dio vi prosperi.

Roma, 12 Maggio 1755.

Al piacer vostro

C. Al Card. Cavalchini.

P. G. Guglielmi Secret.

Reverendissimo Signore.

Essendosi osservato quando con lettera delli 22 Maggio prossimo passato avete rappresentato in proposito dei Confessori Regolari di Monache, giacchè non regge ciò, che per parte di cotesto Capitolo fu esposto, specialmente in ordine alla copia dei Sacerdoti Secolari abili a sostenere tale impiego; questi Eminentiss. miei Signori commendando la Vostra prudenza praticata in questo proposito, mi hanno imposto di suggerirvi, che qual' ora vi possa riuscire di deputare qualche Sacerdote Secolare idoneo in luogo dei Regolari procediate alla deputazione colle circospezioni insinuatevi nella precedente lettera. Quando poi la penuria di tali Sacerdoti Secolari renda necessaria l'opera dei Regolari, dovete onninamente far suppli-

care questa Sagra Congregazione per impedire la facoltà opportuna, concedendovisi in virtù della presente la facoltà di farli continuare per modo di provisione per lo spazio di due, o tre mesi, acciò in questo tempo possino le Monache conseguire la necessaria licenza, senza la quale non dovrete ulteriormente tollerarli. E quantunque alli Parochi, e Canonici sia generalmente vietato l'esercizio di Confessore di Monache, acciò non abbiano a mancare alle loro incombenze, tutta volta in qualche caso, in cui si rende compatibile l'uno, e l'altro impiego, e che possa il soggetto commodamente supplire ad ambidue, sogliono l'EE. loro concedere la dispensa, quando sia richiesta, attesa la scarsità dei Sacerdoti semplici. Ve lo significo per vostra regola, e Dio vi guardi.

Roma, 13 Giugno 1755.

Sottoscritta al piacer Vostro

C. Al Card. Cavalchini

P. G. Guglielmi Secret.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(86. Moniales ex Lege Fundationis, vel ex Consuetudine habere posse jus eligendi Confessarium ab Episcopo approbandum contra quam sentit hic Auctor num. 1, firmavimus in addit. ad verb. *Approbatio pro Confessionibus* artic. 3.

(87. Gravis quæstio est, an Confessarius Ordinarius monialium ab Episcopo destitutus, et triennio elapso ex peculiari Indulto S. Congr. Episc. et Regul. negotiis præfectæ, ad aliud triennium immediate sequens confirmatus, hoc altero triennio elapso, possit ab ipso Episcopo auctoritate ordinaria destinari ad tertium triennium, non secus ac posset, si secundo triennio non fuisset confirmatus a dict. S. Congregatione? (88. Agit de hac quæstione Pellizar. de Monial. cap. 10, sect. 3, sub sect. 1, num. 172, et negativam opinionem refert Cardinalis de Lugo, Baldelli, etc., affirmativam vero Dianæ Naldi, etc., cui ipse adhæret: « Concessum, inquit, alicui ob gratiam non est in ejus dispendium retorquendum, neque enim idem contrarios effectus operari potest. » Addit et alias rationes in confirmationem affirmativæ hujus sententiæ, quas videas.

(89. At negativa sententia amplectenda est ex rescripto Sac. Congregationis destinatæ ab Innocentio XII, pro causis Congregationis Cassinensium 26 Februarii 1694, ad dubium quintum, quod refert Monacell. in Formular. part. 1, tit. 11, formul. 22, num. 12, tum laudat hic Auctor n. 23. (90. Ex hoc enim habetur, quod Abbatissa confirmata ex gratia dict. Sacrae Congregationis ad secundum triennium, eligi nequeat ad tertium triennium, absque dispensatione; « Neque ex hoc sequitur (recte ait Add. ad Pellizar. dict. tract. cap. 7, num. 47, editionis Romanæ anni 1751) quod favor convertatur in odium, et quod privilegium et gratia Principis nihil operetur supra jus commune, nam aliquid operaretur pro secundo triennio, et pro tertio triennio ea non con-

verteretur in odium. Illa enim Regula potissimum valet, quando Regula, seu Privilegium concessum est a Principe motu proprio; Confirmatio autem Abbatissæ pro secundo triennio solet concedi ad instantiam Monialium, quæ dum petunt illam, censentur petere secundum naturam, quam habet de jure officii Abbatissæ, scilicet ut subsequatur vacatio pro triennio subsequenti.» Cur non idem dicendum de Confessario? ut tenet Auctor dict. n. 13.

(91. Tametsi agatur de Monasteriis exemptis, et Regularibus subjectis, ad Episcopum pertinet cognoscere, tum approbare, an Confessarius Regularis debeat pernoctare prope ipsa Monasteria ex causa distantiae Conventuum, ut statuit Alexander VII, in Constitutione, quæ incipit *Felici*.

(92. Vide et alia de Confessario præsertim extraordinario monialium apud Constitutionem S. M. Benedicti XIV, cui initium est: *Pastoralis curæ*.

(93. Confessarius Regularium. Vide verb. *Approbatio* art. 2.

ARTICULUS V.

Confessarius quoad ea, quæ concernunt sollicitationem (1).

(1. Ad coercendam sacrilegam, et execrabilem sollicitationem ad turpia in Sacramentali Confessione, vel occasione, seu prætextu ejusdem, variæ sunt editæ Pontificiæ Constitutiones, et signanter a Pio IV. Constitut. incip. *Cum sicut nuper*, a Paulo V. Constitut. incip. *Dilecte fili*, a Gregorio XV. Constit. incip. *Universi Domini Gregis*. Quæ Gregorii Constitutio, cum sit norma, et regula in hac materia habenda, in hoc V. articulo ad litteram dandam arbitramur.

GREGORIUS PAPA XV,

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Universi Domini Gregis curam quamquam immeriti cœlesti dispositione gerentes sedulo invigilare tenemur, ut ab omnibus præviis contagiis conservetur immunis, multoque majori studio providere, ut omnis pestis ab iis avertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne, quod Evangelica scripta Nos admonent, sale infatuato, non sit in quo saliat, et ad nihilum prosit ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus.

§ 1. Quoniam autem a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris quibusdam in locis provisum fuit, ut impium, ac nefandum scelus, quod non solum inter Christi fideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur: videlicet ut aliquis Sacerdos ad Sacras audiendas Confessiones deputatus Sacrosancto Pœnitentiæ Sacramento, sollicitando Pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, et ex cœlesti medico infernalis ve-

(1) Vide verb. *Complex Peccati*, etc. et verb. *Confessarius*, art. 5, a n. 12, ad plures seqq.

neficus, ex patre spirituali proditor execrabilis Animarum reddatur; ideo Nos ea, quæ his perniciosissimis Diaboli insidiis arcendis certis locis salubriter constituta sunt, ut nulli desiderentur, quantum ex alto conceditur, providenda duximus.

§ 2. Alias siquidem a fel. rec. Pio Papa IV. Prædecessore nostro emanarunt Literæ tenoris subsequentis, videlicet: Pius Papa IV. Venerabili Fratri Archiepiscopo Hispanen. in Regnis Hispaniarum hæreticæ pravitatis Inquisitori Generali. Cum sicut nuper, etc.

§ 3. Igitur ut Literæ prædictæ perpetuis futuris temporibus, et ubique Locorum inviolabiliter observentur, Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, ac de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinal. contra hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum, præinsertas Literas hujusmodi, ac omnia, et singula in eis contenta, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, approbamus et confirmamus, illisque omnibus, et singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, illasque, non solum in prædictis Hispaniarum Regnis, sed in quibusvis Christiani Orbis partibus firmiter, et inviolabiliter observari præcipimus, et mandamus.

§ 4. Ac præterea, ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, et de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari possit, statuimus, decernimus, et declaramus: quod omnes et singuli Sacerdotes, tam Sæculares, quam quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediate subjectorum Ordinum, Institutuum, Societatum, et Congregationum Regularium, cujuscumque Dignitatis, et Præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonestam, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, sive ante, vel post immediate, seu occasione, vel prætextu Confessionis hujusmodi, etiam ipsa Confessione non secuta, sive extra occasionem Confessionis, in Confessionario, aut in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulant ibidem Confessiones audire; sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in Officio Sac. Inquisitionis severissime, ut infra, puniantur. Et præterea omnes hæreticæ pravitatis Inquisitores, et Locorum Ordinarios, omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, et Locorum Universi Orbis Christiani in suis quemque Diocœsibus, et Territoriis per has nostras Literas, etiam privative quoad omnes alios, specialiter ac perpetuo Judices delegamus, ut super his, contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis Fidei, juxta Sacrorum Canonum formam, nec non Officii Inquisitionis hujusmodi Constitutiones, privilegia, Consuetudines, et Decreta diligenter inquirent, et procedant, et

quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos, pro criminum qualitate et circumstantiis, suspensionis ab executione Ordinis, privationis Beneficiorum, dignitatum, et Officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ, et passivæ, si Regulares fuerint, exilii, damnationis ad trimeses et carceres, etiam in perpetuum absque ulla spe gratiæ, aliasque pœnas decernant; eos quoque, si pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curia Sæculari puniendos tradant.

§ 5. Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, et Ecclesiæ Dei tam perniciosum, ob probationum defectum, impunitum (cum difficilis sit probationis), testibus etiam singularibus concurrentibus, præsumptionibus, indicis, et aliis adminiculis, delictum probatum esse arbitrio suo judicandi, et Curia Sæculari, ut præfertur, reum tradendum esse, pronunciant.

§ 6. Non obstantibus omnibus, quæ dictus Prædecessor in suis Literis prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§ 7. Mandantes omnibus Confessariis, ut suos Pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu, ut præfertur, tractantes, Inquisitoribus seu Locorum Ordinariis prædictis, quod si hoc officium prætermiserint, vel Pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes ut supra, iidem Locorum Ordinarii, et Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.

§ 8. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra ubique habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§ 9. Quodque eadem præsentibus Literæ, seu illarum exempla ad valvas Basilicarum Sancti Joann. Lateranen., ac Principis Apostolorum de Urbe, et in Acie Campi Floræ affixæ, omnes ita ardent, et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorum sub annulo Piscator. die 30 Augusti 1622 Pontif. nostri anno II.

(2. Hanc vero Gregorii XV. Constitutionem Benedictus XIV, An. 1741, confirmavit, ampliavit et extendit, altera sua Constitutione incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*, in qua et reservat Papæ pro tempore existenti absolutionem eorum, qui falso Sacerdotes de sollicitatione accusant, aut procurant, ut ab aliis falso accusentur.

(3. Unde sollicitatio quantum ad propositum non est nisi provocatio, seu incitatio facta verbis, scriptis, signis, nutibus, osculis, aut tactibus ad turpia, et inhonestam, id est

ad res carnales, seu venereas. Sic in re Communis Doctorum.

(4. Per personas sollicitantes intelliguntur hic omnes, et singuli Sacerdotes, tam Sæculares, quam Regulares cujuscumque dignitatis, aut Præeminentiæ existant. *Communis* per expressa verba dictæ Gregorianæ Constitutionis § 1.

(5. Hinc sollicitans dicitur, et est denunciandus etiam Sacerdos non Confessarius, qui se fingens Confessarium, fœminas, seu adolescentulos ad turpia, seu carnalia provocat, et incitat. De ipso enim Sacerdote verificatur, quod sollicitet prætextu Confessionis, quod sufficit de mente dictæ Constitutionis, etiam Sacramentali Confessione non secuta, ibi: « Vel prætextu Confessionis hujusmodi, etiam ipsa Sacramentali Confessione non sequuta. » Et sic tenent Diana part. 1, tract. 4, resol. 17, et part. 4, tractat. 3, resolut. 8. Sanctius in Selectis disput. 11, num. 39. Acugna tractat. de Confess. sollicit. 14, num. 4. Joannes Angelus Bossius in Appendic. ad tractat. de tripl. Jubil. privileg. dub. 9. Felix Potestas tom. 2, part. 3, cap. 2, num. 483. Rosignol, de Pœnitent. part. 1, quæst. 7, art. 21, num. 4, et seq. Castropal. et alii plures contra Bordon. Leandr. et alios volentes non esse denunciandum.

(6. Laicus autem fingens se Sacerdotem, et Confessarium, si sollicitet in Confessione, non est ex vi dictæ Constitutionis denunciandus ut sollicitans, quia dicta Constitutio expresse loquitur solum de Sacerdote, qualis non est Sacerdos fictus. Si autem voluisset etiam Sacerdotem fictum comprehendere, expressisset; quod enim voluit, expressit, argument. cap. *Inter corporalia* 2, de translat. Episcop. § *Sed neque istud*, cap. *Quia circa* 22, de privileg. et cap. *Ad audientiam* 12, de Decimis. Tum quia odiosa restringenda, cap. *Odia* 15, de Regulis Juris in 6. Et in pœnalibus benignior interpretatio facienda est, leg. *Factum* 135 ff. de *Regulis Juris* § 2, ibi: « In pœnalibus causis benignius interpretandum est, » cap. In pœnis 49, de *Regulis Juris* in 6, ibi: « In pœnis benignior est interpretatio facienda. » Et concordat leg. *Cum quidem* 19, ff. de *liberis*, et cap. *Statutum* 22, de election. in 6. Et sic defendunt Rodericus de Acugna tractat. de Confessar. sollicitat. quæst. 13, num. 1, et seq. Diana part. 1, tractat. 4, resolut. 13, part. 4, tractat. 5, resol. 9, part. 10, tract. 14, resol. 42. Castropal. tom. 1, tract. 4, disp. 9, punct. 9, num. 5. Leander de Sacram. Pœnitent. tractat. 5, disp. 13, a quæst. 36. Joann. Angelus Bossius in Appendic. ad tract. de tripl. Jubil. privileg. dub. 10. Felix Potestas loc. cit. num. 489. Rosignol. loc. cit. num. 7. Viva ad prop. 6. Alexandri VII. num. 9, et alii contra Escobar, Trimarchium, et Freitam tenentes contrarium.

(7. Talis autem Laicus esset denunciandus tamquam suspectus de hæresi ex aliis Pontificiis Constitutionibus, et signanter ex Constitut. Gregorii XIII. incip. *Officii nostri partes*; præsertim si simul audisset Confes-